

Non enim Plato animam ex illis tamquam elementis, essentia, eodem, altero constituit. Sed ex impartibili uti dixi et *partibilibi*^{xviii}, eodem et altero, essentia illis admixta, quae neque principia nec elementa nuncupat. Nec locum habent ullum verba illa:⁶⁶ *Res*
 5 *vero ex principiis esse, cum ibi Plato nihil de principiis.*

Neque omni cognitioni tribuit:⁶⁷ *cognosci enim simili simile, sed quiddam tale de visu tantum, cum ait:*⁶⁸ *Incidens simile ad simile, concretum factum, unum corpus appropriatum constituitur secundum oculorum rectitudinem, quocumque resistat incidens intrinsecus, ad quod extrinsecum incidit, similipassum [346] autem per similitudinem omne factum, cuiuscumque ipsum attingat, et quod aliud illius, huic*^{xix} *motus tradens in omne corpus usque ad animam, sensum praebuit hunc, quo sane videre dicimus. Quibus quidem verbis non id dicitur simile simili cognosci, sed ignem, ex quo oculum factum ait, fluere ab oculo occurrensque exteriori obiecto, colori nimirum*⁶⁹ *simile ad simile concretum fieri. Sed non ideo simile simili cognoscitur: non enim ignis, qui similis ob lucem, luci vel colori dicitur, cognoscit, sed τὰς κινήσεις διαδιδόν μέχρι τῆς ψυχῆς*^{xx} *motus tradens usque ad animam praebet eum sensum, quo videre dicimus. Perverse igitur atque inverse est huic loco ab Aristotele obiectum.*

⁶⁶ τὰ δὲ πράγματα ἐκ τῶν ἀρχῶν εἶναι. [ARIST. de An. 404b.18]

⁶⁷ γινώσκεισθαι γὰρ {τῷ} ὁμοίῳ ὁμοιον. [ARIST. de An. 404b.17 – 18]

⁶⁸ τὸ δ' ἐκπίπτον [ἐκπίπτον] ὁμοιον πρὸς ὁμοιον, συμπαγὲς γενόμενον, ἐν σῶμα οἰκειωθὲν ξυνέστη κατὰ τὴν τῶν ὀμμάτων εὐθυωρίαν [corr. ex εὐθυορίαν], ὅπηπερ ἂν ἀντερείδη τὸ προσπίπτον [προσπίπτον] ἔνδοθεν πρὸς ὁ τῶν [τὸ] ἔξω συνέπεσεν. ὁμοιοπαθὲς δὴ δι' ὁμοιότητα πᾶν γενόμενον, ὅτου τε [δ'] ἂν αὐτό ποτε ἐφάπτηται καὶ ὁ {ἂν} ἄλλο ἐκείνου, τούτων [τούτῳ] τὰς κινήσεις διαδιδόν εἰς ἅπαν τὸ σῶμα μέχρι τῆς ψυχῆς αἰσθησιν παρέσχετο ταύτην, ἣ δὴ ὄραν φαμέν; [PLATO, Ti. 45.c.3 – d.3]

⁶⁹ ὁμοιον πρὸς ὁμοιον, συμπαγὲς. [PLATO, Ti.45.c.4]

^{xviii} Auct. corr. ex *partibi*

^{xix} Prevedena je riječ: τούτῳ, a ne: τούτων, kako stoji u kritičkom izdanju.

^{xx} Usp. PLATO, Ti. 45.d.1 – 2, κινήσεις διαδιδόν εἰς ἅπαν τὸ σῶμα μέχρι τῆς ψυχῆς.